



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 1. Agesilaus, & alij cur contempserint honorem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

- Pfal. 9. 3. esse iudicatur? Ita dum superbit impius, incenditur pauper. Quoniam laudatur peccator in desiderijs anima sua, & iniquus benedicitur. Iustus autem quid fecit? His talibus querelis ante, quàm ordine occurram, dispiciendum est, num, & quomodo Honor appeti possit? Si enim eum appetere non licet, quo modo fas est, de eo cum Numine exoptulare? Cùm dissonum sit, bonus cantor, bonus cupediarius; quàm erit absurdum, si quis malus cantor, & bonus cupediarius dici audiat?

CAPVT II.

An, & quo modo vel fas, vel vanum sit,
Honorem gloriàmue appetere?

§. I.

Agésilans, & alij cur contempserint honorem?

Quid querantur homines, si vel amittant honorem, vel numquam adipiscantur, quando etiam Ethnici phaleras istas & bullatas nugas contempserunt? Christiani autem quidam, magni nominis umbram, & populi existimationem, non solùm nihili fecerunt, sed etiam

am

am honores & gloriam non sine labe appeti posse sunt arbitrati? Et quidem de Christianis innumera sunt exempla, quorum nonnulla nos inferiùs sumus allaturi. De Ethnicis hæc memorat Plutarchus. Plutarch.
in Apoph.
Lacon. Agesilaus, cum ei nationes, quæ id temporis Græciam incolebant, decrevissent, in clarissimis quibusque civitatibus, honoris causa, statuas erigi, rescripsit illis hunc in modum: *Mei nulla sit imago, neque picta, neque ficta, neque ullo alio artificio parata. At Principum vulgus, ait Plutarchus, hoc honoris genere se Dijs equiparari credebat, summumque rerum bene gestarum premium arbitrabatur. Agesilam ipso honesto contentus, negligebat eiusmodi adulationes, malens insculpi prudentium ac bonorum hominum pectoribus, quam in foro aereus aureusque stare. Eximiam virtutem sponte suam consequitur decus. Nec ulla speciosior statua, quam honorifica bene actæ vitæ memoria. Quare idem rex Agesilaus, cum moraretur in portu, qui Menelai dicitur, mandavit ijs, qui aderant, ne quam statuam aut imaginem in suum honorem erigerent: Si quod, inquit, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statua, cum sint vilium ac nullius rei opifi-*

opificum opera. Ita sensit Ethnicus, ob contemptum honoris, quàm alij ob cupiditatem, magis laudatus; eoque prudentior, quia iudicia, quàm testimonia hominum pluris fecit, cùm hæc sæpius soleant mentiri, quàm illa errare; qua mente oportet esse Christianum?

§. II.

Cur Christus reprehenderit Phariseos, ob Phylacteria dilatata, & simbrias magnificatas?

Ipsè profectò Christus Scribarum & Phariseorum ambitionem reprehendens ait: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua; & magnificent simbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. Quòd si in phylacterijs non licet gloriam captare, quantò minùs in rebus profanis? Phylacteria enim, id est, conservatoria, erant membranulæ, in quibus legis præcepta scripta fuere, eas Scribæ & Pharisei circum caput, & circum brachia gestabant, ut perpetuò legem Dei ante oculos*

Matth.
23. 5.

Deuter.
6. 8.

Num. 15.
38.

Deut. 22.
12.